



692





LV.
DISSERTATIO JURIDICA
DE
SUMTIBUS CONVI-
VII NUPTIALIS,

QVAM,
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
PATROCINANTE

DN. HEINRICO BALTHASARE Roth/
JCTO AC ANTECESSORE CELEBERRIMO,
CONSILIARIO SAXONICO ET SCHWARTZBURG. CURIAE
PROVINCIALIS AC SCABINATUS ASSESSORE GRAVISSI-
MO, p. t. FACULTATIS JURIDICAE DECANO
SPECTABILI.

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO ET MOECENATE SUO MA-
GNO, SUMMO HONORIS ET OBSEQVII CULTU ÆTATEM
DEVENERANDO,

IN JCTORUM AUDITORIO

Ad d. Martii

PUBLICAE DISQUISITIONI EXPONET

AUCTOR ET RESPONDENS

GODOFREDUS WOLFIUS,
Löbejunâ Saxo.

JENÆ

Typis NISIANIS, ANNO M DC LXXXIII.

SR
Serenissimi atque Potentissimi
Archi-Principis ac Electoris Bran-
denburgici,

Sanctiori Senatori

Per-Illustri ac Generosissimo Domino
DN. GUSTAVO ADOLPHO
à Schulenburg/

Confiliario regiminis eminentissimo,
Camerae Ducatus Magdeburgensis & Præ-
fecturae Giebichensteinensis Præsidi Splendidissimo,
Dynastæ in Embden/ Hohentwarßleben/
Bezendorff und Schade-
leben/ &c.

Domino suo Gratosissimo.

ut &

V I R O

Magnifico, Pranobilissimo atque Excellentissimo

DN. FRIDERICO Hondor

Jcto Consummatissimo, Confiliar

Aulico atque Politico Splendidissimo

& Salinarum Hallensium Salisgra-

fio Spectatissimo &c.

Domino suo, Patrono atque Ever

getæ, officioso subjectionis cultu

ætatem devenerando.

Nec non

Illustri atque Generosissimo Domino

DN. JOHANNI ab Assetur

Confiliario Regiminis eminentis-

simo, Toparchæ in Schermbke/æ.

Domino suo Patrono ac Mœccena

submissè venerando.

Itemque
V I R O

Magnifico, Pranobilissimo atque Excellentissimo

N. JOH. CHRISTOPHORO
Herold/

o famigeratissimo, Confiliario
ulico atque Politico itemque finium re-
gundorum Splendidissimo, Hereditario
in Riedeburg/ &c.

Domino Patrono atque Mæcenati suo magno, ob-
sequiosocultu æternum prosequendo,

Atque
V I R O

Pranobilissimo, Consultissimo & Excellentissimo

DMINO JACOBO Gudecken/
o celeberrimo & Præfecto Giebichen-
steinensi meritissimo, gravissimoque, salinatori
præcipuo &c.

Domino Patrono atque Studiorum suorum Promo-
tori obsequiosè colendo


Hanc de Sumtibus Convivii Nuptialis Disertationem
mente devotissima dedicat, Eorumque Tutelæ &
Clientelæ se studiaque sua submississimè com-
mendar.

Auctor.



L. D. B. V.

PROOEMIUM.

onvivium justum atque legitimum rem non modò honestam, utilem atque jucundam; verùm etiam sacram quodammodo, divinam & religiosam esse, sive originem spectemus, sive finem usumque legitimum, facile patebit. Ac ORIGO quidem conviviorum antiquissima est, quæ ab ipso humani generis primordio repetenda & ad ipsum Deum ceu primum autorem referenda esse videtur: quippe qui statim in Paradiso, in beatissimo illo florentissimoque mundi statu primos parentes nostros firmo stabilique matrimonio copulatos non *προνοφάγης* instar cyclopum, sed *ὁμοφάγης* & *ὁμογεφάγης* i. e. victus communione conjunctos esse voluit; quin & postmodum electo suo uniceque adamato judæorum populo certa quædam convivia summâ cum lætitia atque gaudio celebranda præscripsit atque mandavit. *Conf. Exod. 12. Deut. 14. v. 16. seqq. & c. 16.* FINEM quod attinet conviviorum, ipse pariter augustus atque divinus est. Namque legitimus eorundem usus non in cibi potusque deliciis ac voluptatibus terminari, sed potiùs ad mutuam animorum conjunctionem, stabiliendamque humanam societatem, quin & ipsius Divini Numinis clementiam nobis conciliandam ordinatus esse debet. Non aliam sanè ob causam ille supremus rerum omnium conditor Protoplastos nostros ejusdem cibi victusque communione (sicut antè di-

A 3

ctum

Etum) uti voluit, quàm ut arctiore firmioreque societate atque amoris vinculo isti constringerentur, ipsiusque SS. Nomen uno quasi ore atque corde svavique concentu colerent atque celebrarent. Quid dicam de epulis illis, quæ in V. T. post peracta sacrificia (*vid. I. Sam. 1, 4. C. 9, 13. & C. 16, 2. seq.*) celebrabantur? Quid de epulo Paschali cæterisque festivis conviviiis? Sanè non aliam ob causam hæc omnia instituta fuerunt, quàm ut religione erga Deum & amicitiam mutuoque amore inter se populus conciliaretur. Eodem referenda sunt epulæ illæ primitivæ Ecclesiæ statim post SS. Communionem celebrari solitæ, quas ad mutuam Christianorum amicitiam charitatemque alendam atque fovendam spectasse, vel ipsum nomen Ἀγάπης, quo fuerunt insignitæ, satis superque testatur. *vid. Petr. Gregor. Tholosanus L. 13. de Republ. C. 18. n. 4. Magnif. Dn. Schilter. in Instit. jur. Can. L. 2. tit. 3. §. 18.* Atque (ut à sacris discedamus) ad hunc verum & genuinum conviviorum finem rerumpubl. benè constitutarum moderatores in instituendis publicis privatisque epulis subinde respexerunt. Ita ex Plutarcho & Dionys. Halicarn. de Numa Pompilio Rege Romanorum & Lycurgo Lacedæmoniorum Principe Bodinus refert, quod cives non tantum sodalitiis ac societatibus, sed etiam perpetuis conviviiis devinxerint *L. 3. de Republ. C. 7. n. 326. seq.* Et Valerius Max. *L. 2. C. 1. Convivium*, inquit, *solenne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordie adhibitis, tolleretur.* Sicuti etiam de veteribus Germanis Cornel. Tacitus *Cap. 22. n. 4.* scribit, quod in conviviiis isti soliti fuerint inimicos

inimicos sibi invicem reconciliare atque in gratiam reducere, amicitias affinitatesque contrahere. Ex dictis, ut puto, satis liquet, convivia honesta, atque moderata, haudquaquam damnanda aut à Christiani hominis officio separanda esse. Faceffant igitur, quicumque vel superstitione, vel misanthropia quâdam Cyclopica, vel avaritiâ ducti ab omni prorsus conviviali consuetudine abhorrent, ut ad convivia alios invitare aut invitati aliorum conviviis interesse nefas existiment. Faceffant quoque, qui omnem conviviorum usum è republ. proscribendum, nec, ut exterorum mensas Cives adeant, permittendum esse propugnant : quorum castra sequi videtur Carolus Scribanus *L. 2. C. 19. de prudenti ac relig. gubernat.* Cujus equidem argumenta ad tollendum conviviorum abusum benè collimant; sed ad legitimum eorundem usum evertendum longè infirmiora existunt. Quin & ipse sibi contrarius videtur *in Polit. Christiano C. 26. p. m. 495.* ubi, dum temperantiam commendat Legato, hæc subjicit verba: *Non quod Legatum à conviviis arceam, arceo ab ebrietate: quin adeò si conscius ipse sibi temperantia sua est & imperare gutturi potest, non avertetur convivia, fors inter liberiora aliorum pocula discet, quod nec ingenio, nec auro posset; ferè enim aliquid inter convivales hilaritudo elabatur, quod scire Legatum deceat. Quin & convivia ipse nonnunquam instituat, ne avarus audiat, audiat splendidus &c.* Sanè si conviviis interesse cum peccato semper animæque periculo esset conjunctum, nec Legato istud liceret, quippe quem arcanorum studium atque splendoris sollicitudo haudquaquam excusare potest, nec facienda mala sunt, ut boni quid inde eveniat. Planè illud negare vix possumus, quod pravis plurimarum gentium (eheu!

Christianarum quoque) moribus iusta convivandi ratio fermè negligi, & in effrenam luxuriam crebrasque comestationes abiisse Convivia, hisque nomen suum reliquisse videantur; quæ tamen perniciofa & exitialis communibus pariter atque privatis rebus comestandi libido, in benè constitutis rebuspubl. Legibus, quas sumtuarias vocant, (*vid. Macrob. L.3. Saturnal. C.7. & Agell. L.2.C.24. Noct. Attic.*) & olim refrenata fuit & hodiè reprimitur, sicque pessimus conviviorum abusus ab usu utilitateque haut minimà optimè secernitur. Sed sufficient, spero, hæc, quæ generatim præfari de conviviiis placuit, ut eò commodius inde quid in specie circa Convivia nuptialia eorumque sumtus justum vel injustum sit, dijudicari queat. Nunc itaque Divini Numinis auspicio atque ope Tractationem ipsam aggredior.

THESIS I.

Definitio
nominalis

ATque ut eo facilius feliciusque deinceps progredi liceat & methodo hætenùs consuetæ sua maneat auctoritas, primus circa voces, quibus Rubrica constat, labor suscipiendus & tam nominis quam rei definitio breviter tradenda erit. Ubi, si ordo scripturæ servandus est, primò se offert Vocabulum SUMTUS; Hoc à Verbo Sumo (quod ex *sub* & *Emo* est compositum; *emere* enim antiquis notabat *tollere, auferre*, quem significatum etiam reliqua inde descendentiæ verba, v. g. *demo, adimo, promo*, retinuerunt) quia infumitur, sive impenditur, ortum trahere, fermè indubium est. Vid. Vossius in *Etymologico Lingvæ Lat. Voc. SUMO*. Eiusque duplex occurrit acceptio, (1) enim ipsum *actum* fumentis & (2) *pecuniam*, quæ in rem aliquam impenditur, denotat. Vid. Corvinus in *Fonte Latinit.* alique Lexicographi. Posteriores huius tractationis esse facile patet; Estque hæc iterum vel *generalior*, & denotat quasvis etiam modicas & moderatas in rem factas

factas impensas; vel *specialior* atque *strictior*, prout à Cicerone sæpenumerò pro impendiis magnis, immodicis atque luxuriosis vox ista usurpatur, ut *in Orat. pro M. Caelio 35. nulla luxuriosus reperietur, nulli sumtus, nullum es alienum, & ibid. 12. sumtus minus generis obiectus est habitationis, triginta millibus dixistis eum habitare.* Hinc etiam *sumtuosus* dicitur qui magnos sumtus facit Cic. *in Parad. 62. § 2. de Oratore 74.* Et *sumtuosum*, quod magno comparatur aut servatur pretio, ut domus sumtuosa, sumtuosa familia Terent. *Adelph. 4. 7. 42.* Hoc loco vocem SUMTUS generaliter accipimus, ejusque Synonyma sunt Expensæ Expensum, Expensâ, Impensâ, Impendium. &c.

TH. II.

CONVIVII VOX vel à *Convivari*, quod est convivium, facere (Ter. *Heaut. Act. 1. Sc. 2. 32. scortari crebro nolunt, nolunt crebro convivari* & Cic. *5. in Verr. 86. quotidie solitum esse non solum in publico, sed etiam de publico convivari*) vel à *Convivere*, quod significat unâ vel simul vivere, deducitur. Cujus derivationis rationem eleganter tradit Cicero *de Senect. 42.* ubi inquit: *Bene enim majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vite conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quam Greci, qui hoc idem, tum comotationem (συμπόσιον) tum concœnationem (συνδειπνον) vocant.* Unde simul patet, abusivam esse *Convivii* pro quâvis comestatione vel comotatione acceptionem; genuinâ verò, quatenus honestam jucundamq; amicorum hominum ejusdem cibi atque potûs, nec non sermonis communionem denotat. Sunt alia quoque permulta vocabula magis specialia, quibus idem exprimitur, certa quædam conviviorum genera significantia, quæ tamen sæpè numerò ad quodvis convivium generatim significandum adhibentur, cujusmodi sunt; Epulæ, Epulum, Epulatio, Prandium, Cœna &c. Mensæ quoque vocabulum, præsertim in plur. numero haut rarò per Metonymiam pro *Convivio* usurpatur, ut mensæ primæ, secundæ, Syracusanæ, Italicæ, de quibus prolixè agit Stuck. *L. 1. c. 6 & L. 3. c. 2.* Item sodalitas, conventus, congressus, convictus, cœtus, conviviarum congregatio *Convivium* appellatur à Macrobio *L. 1. Saturn. c. 5.* Germ. vulgò *Gaststrey / Gastmahl / Banquet* &c. dicimus.

Quod

Quod denique Vocabulum N U P T I A L I S attinet, derivatur illud à *Nuptiis*, quas à *nubendo*, i. e. velando s. operiendo denominatas esse, & verius videtur & communiter placet. Causa appellationis ex eo est, quòd sponsa, cum ad maritum deduceretur, pudoris gratia & in signum subjectionis faciem flammeo obnuberet sive velaret. Vid. Voss. in *Etymolog. h. Voc. & Oldend. Class. 4. Act. 26. in pr.* Schneidew. in *Comment. ad Inst. de Nupt. sub rubr. de nuptiis licitis. n. 1.* ubi simul varias Nuptiarum significationes exhibet. Denotat autem tò *Nuptiale* omne, id, quod ad nuptias pertinet seu in nuptiis adhibetur. Sic dicimus nuptiale donum, carmen nuptiale, Currus nuptialis, faces nuptiales &c. Simili significatu gaudet voc. *Nuptaliti-um*, quod occurrit in l. 194. ff. de V. S.

TH. IV.

Non autem illud solùm *Nuptiale Convivium* h. l. intelligimus, quod in ipsis Nuptiarum festivitatibus, seu primo Nuptiarum die celebratur, & passim ab Auctoribus Classicis *Coena nuptialis* appellatur; quomodo Plautus in *Curculione Act. 5. Scena penult*:

*Tu ut hodiè adveniens coenam des sororiam.
Hic nuptialem cras dabit.*

Et Apulejus *Lib. 6. nec mora cum coena nuptialis affluens exhibetur*: Veteres enim unum saltem diem convivio nuptiali destinârunt, quorum propterea frugalitatem laudat Cypræus *de jur. Connub. C. 1. §. 2. n. 13.* Verùm etiam ea, quæ primis nuptialem festivitatem insequentibus diebus peraguntur, *Convivia* hûc trahimus, quæ *postnuptialia* vocantur, it. *Repotia, Nachhochzeit*/ vid. *Ordin. Polit. Elect. Sax. de An. 1661. tit. 14. §. 12. verb. Es sey am Hochzeit Tage oder zur Nachhochzeit* &c. Quin nec illam excludimus *Coenam*, quæ pridie nuptiarum peregrè advenientibus apponitur, ad quam Paranympsi quoque & pauci ex cognatis proximis invitari solent. Pertinent huc quæ nostra Germ. lingua vocari solent *Bittessen/Polter Abend/Waltzerabend* &c. vid. *Fürstl. Gothaische Lands Ordn. Part. 3. N. 29.* Unde

Unde SUMTUS CONVIVII NUPTIALIS nobis sunt, *Definitio*
 qui à novis sponfis, eorumve intuitu ab aliis, ad honorificè *realis.*
 excipiendum convivas nuptiales erogantur. Dividi possunt
 ratione formæ *in legitimos atque moderatos,* qui intra modum, *Divisio.*
 Legibus Statutisve præfinitum erogantur; & *luxoriosos,* qui
 contra præscriptam rationem fiunt.

TH. VI.

Quanquam autem exactè scire vix possimus, quo tem- *Causa Effic.*
 pore & à quibus hominibus primùm *nuptiales epulae instructæ* *remota.*
 fuerint, certum tamen est, antiquissimum hoc esse institutum
 & gentibus communissimum. Nuptiarum enim festivitas
 sicut omnibus ferè temporibus & apud plerasque gentes plu-
 rimis solennitatibus variisque ritibus, de quibus vid. latis-
 sime Henning. Arnifæus *de jur. Connub. C. 3. sect. 12. num. 18. & seqq.*
 Joach. à Beust. *in simili Tract. P. 2. in Prefat. §. fuerunt & gentium*
ritus. Gerhard. *in Loc. de Conjug. §. 461.* Hottomannus *de jure*
Connub. C. 14. & seqq. ita quoque magnificis atque splendidissi-
 mis convivii celebrari consuevit. Inter Sacra, quibus He-
 bræorum mos probatur, vetustissimum est exemplum Labani,
 qui daturus filiam Jacobo, omnes ejus loci incolas invitavit
 atque nuptiale convivium apparavit *Gen. 29. v. 22.* Posthinc
 celebres maximè sunt Samsonis nuptiæ, quas ille Tha-
 mnathâ Palæstinorum urbe, postquam Palæstinam quan-
 dam in uxorem duxerat, ex more juvenum celebrâsse legi-
 tur, quæ septem dies duraverunt *Jud. 14.* Celeberrimum
 in N. T. est illud nuptiale convivium, quod Canæ Gali-
 lææ celebratum fuit, cui ipsemet Servator noster unà cum
 sanctissima suâ matre atque discipulis interfuit, illudque pri-
 mo illo suo atque insigni aquæ in vinum conversæ miraculo
 decoravit *Joh. 2.* Ad Persarum hæc in re consuetudinem pro-
 bandam spectat magnum illud nuptiale epulum, quod Ahas-
 verus Rex, postquam Estheram, repudiatâ Vasthi, duxerat,
 uxorem, omnibus Principibus atque servis suis instruxisse le-
 gitur *Esther. 2. v. 18.* similiter apud Græcos conviviorum nu-
 ptialium usum frequentem fuisse minimeque vulgarem eo-

B

rum



rum apparatus ex Plutarcho, Homero, Athenæo aliisque probatissimis scriptoribus deducit Stuckius *L. 1. Antiquit. Convivial. c. 24.* Nec minus Romanorum in nuptialibus symposiis summam olim magnificentiam seu luxuriam potius fuisse, passim profani auctores testantur, ita ut exemplorum commemoratione mihi superledendum existimem vid. idem Stuckius *d. l.* In Veteri Ecclesia primis post Apostolorum tempora seculis, ob perpetuas persecutiones angusta & occulta fuerunt, si qua fuerunt, nuptiarum convivia, inde primi Ecclesiæ scriptores parcius, imò vix usquam, convivii in Christianorum nuptiis peracti meminerunt, Hildebrand. *in Tract. de nuptiis veter. Christian.* Ineunte vero seculo IV. Synodus Neocæsarensis Presbyteros convivio in secundis nuptiis interesse vetuit, quæ prohibitio convivia nuptialia Vet. Eccles. fuisse demonstrat.

TH. VII.

Non verò præcisè necessarium est, ut in contrahendo matrimonio hunc morem sequamur: quippe nuptiales epulæ nec ad essentiam, neque ad consummationem ejusdem spectant, indeque benè omitti possunt Dn. Carpz. 2. *Jurisprud. Consist. 150. n. 2.* secus atque res se habet cum sacerdotali benedictione, quæ quidem non ad essentiam, ad consummationem tamen matrimonii hodiè omninò requiritur, & apud omnes ferè Christiani nominis gentes, quin & apud Græcos, Abasinos, Russos atque Armenios constanter observatur, uti de singulis probat Nobiliss. Dn. Petrus Müller. P. P. in hac *Sal. Celeb. in Dissert. de Hierologia Sect. 1. th. 4.* Sicut etiam solemnitas illa, & tam Græcis quàm Romanis olim usitata sponsæ in domum deductio (in cujus locum sacerdotalis benedictio hodiè successit vid. Cypr. *de jur. Connub. P. 1. C. 11. §. 15. & 20.* WeseNB. *in Parat. ff. de rit. nupt. n. 5.* Harprecht. *ad rubr. Inst. de nupt. n. 123.*) non perficiendi, aut tamen consummandi matrimonii causa fuit adhibita per *text. in l. 5. ff. de rit. nupt. ibique Gloss. l. 15. ff. de Cond. & demonstr. add. d. Diss. sect. 1. th. 7. circa fin.* Quâ autè solemnitate atque pompa hæc ad domum deductio olim peracta fuerit, prolixè tractat Cypræus *d. Tr. P. 1. c. 4. §. 5.* Reliquiæ quædam

dam istius deductionis pristinae adhuc hodie in personarum Illustrium atque Nobilium nuptiis remanserunt, quas vocant die *Heimführung* vid. Wehner. *in observ. pract. sub hac voce.* Renneman. *in Jurispr. Rom. Germ. de jur. person. disp. 41. th. 52. & integram Dissert. de Illustrium Imperii personarum Deductione ad domum Altdorffii sub praesidio Dn. Henrici Linckens Ao. 1681. editam.*

TH. IIX.

Igitur in cujuslibet arbitrio est positum, utrum convivio nuptialem celebritatem adaugere, an verò sumtibus planè parcere velit; quamvis forsan rarius accidat, ut sine omni epulatione nuptiarum tempus transigatur: *Carpz. supra cit. loc.* Quippe ut majori quodam splendore atque lætitiâ nuptiæ celebrentur, earum dignitas atque excellentia videtur exigere; ast convivium justæ debitæq; lætitiæ symbolum est atque conciliandi splendoris optimus modus optimaque ratio. Unde Pontanus *in lib. 4. de Conviventia* dicit: *si qui in celebritate nuptiarum nimis restricti sunt atque sordidi, avaritiæ sibi suspensionem pariunt, ac proinde cum in publicum populi universi, tum in privatorum, cognatorum, affinium, familiarium atque amicorum contemptum odiumque incurrunt.* Idque eò magis, quòd à recepto more recedant, quem tamen sequi decebat eos, qui non facultatibus omnibus sunt destituti. Dn. *Carpz. d. l. def. 149. n. 6.* Prætereà nuptiarum celebritas atque pompa (sic vocatur in *l. 21. 22. 24. C. de nupt.*) suspicionem tollit & prolis certitudinem arguit, contraque omnis solitudo monstri aliquid & suspensionis alit. *Cypr. d. cap. 4. §. 4. n. 4.* Unde *Clitipho l. 6. amatoriar. Achilles Statii; Confidebam,* inquit, *argumentis me convinciturum, me nequaquam moechum esse, propterea quod palàm nuptiæ factæ sunt;* At verò Convivium ad celebritatem nuptiarum pertinet, *Carpz. d. l. quod sanè in occulto fieri nequit.* Quid? quod & ipsa honestatis ratio quodammodo suadeat, ut Neonymphi convivium aliquod invitatis amicis atque cognatis suis instruant. Cùm enim hi non solum testimonii cujusdam causa, quod scil. novi conjuges non clanculum & in occulto, sed coram ipsâ facie Divinâ & in conspectu honestissimorum hominum matrimonium

Caus. Impuls.



inierint, accersantur Conf. Cypræus *d. l. n. 3.* Verùm etiam ut festivitatem nuptialem suâ præsentia celebriorem reddant, & quod potissimum est, ut pro felici matrimonio attentas preces ad Deum fundent, daß sie den Kirchgang bezieren und mit ihren Christlichen Gebeth um eine gedeyliche Ehe bey Gott vorbitten helfen wolten/ quæ formulâ literis invitatoriis plerumque inseritur. Vid. Magnif. Dn. Struv. *in Dissert. de Invoc. Nom. Div. th. 17. Lit. B.* idcirco meritò novi conjuges redhostimenti loco pro exhibito isthoc favore atque beneficio invitatos honesto convivio (cùm hâc vix commodior gratum testificandi animum via ipsis suppetat) excipiunt.

TH. IX.

*Causa Effic.
propinqua.*

Quæ cùm ita sint, prudenter admodum agunt desponsati, si, quod plerumque hodiè fit, ipso sponsaliorum tempore, circa nuptiarum apparatus faciendum certi quid statuant & quam quisque SUMTUUM partem ferre debeat, pactis conventis determinent. Secus enim verendum est, ne invicem hâc in re dissentiant & rixarum postmodum atque discordiæ tricis in ipsis matrimonii præludiis involvantur. Paciscuntur autem vel ipsi desponsati, qui, modò perfectè consentire possint, & curatorum, si quos habent, consensum adhibeant, (vid. prælaud. Magnif. Dn. Struv. *in Synt. J. Civ. Exerc. 6. th. 36. seqq.*) validè inde obligantur, ut alterâ parte invitâ non liceat à placitis discedere *C. 21. de R. J. in 6to. l. 1. pr. ff. de pact. l. 51. C. de O. & A.* Neque ad firmitatem conventionis hodiè opus est, ut in stipulationem ea deducatur, cum moribus nostris ex pacto non minùs, quàm ex stipulatione detur actio *Carpz. P. 2. jurispr. Const. 19. def. 17. Brunneinan. ad l. 10. C. de pact. n. 7. seqq. Mev. p. 5. Decis. 407. Add. Magnif. Dn. Lyncker. in Dissert. de Pactis th. ult.* Et valent hujusmodi pacta nuptialitia, licet vel maximam inter partes inæqualitatem inducant; cùm quilibet pro arbitrio suo ab initio conventioni legem dicere possit, quam postmodum servare omnino obstrictus est *l. 5. C. de O. & A. l. 35. J. fin. C. de donat. l. 1. §. 6. depos.* Neque vitatur conventio, si sponsus v. g. in favorem sponsæ atque donationis causâ Nu-

PTIA-

PTIALEM IMPENSAM omnem promiserit, quippe notissimi juris est, inter sponsum & sponsam donationem subsistere l. 27. l. 36. §. 1. ff. de don. inter vir. & ux. l. 6. C. de don. ante nupt. Carpzov. p. 3. Const. 19. def. ult. & 2. Const. 13. def. 19.

TH. X.

Quær. autem hîc num in foro Saxon. ad validitatem conventionis, quâ ad SUMTUS NUPTIALES sese obligat sponsa, curatore opus sit? Quod neg. tam de jure Sax. Communi, quo Virgines atque Viduæ extra judicium omnia validè agunt absque Curatore Richt. Dec. 27. n. 22. Dn. Struv. Exerc. 31. th. ult. quàm Electorali per Constit. Elect. 15. circa fin. p. 2. ubi de rebus mobilibus fœminis innuptis libera disponendi facultas conceditur vid. ib. Carpz. def. 15. & Dec. Illust. 143. n. 19. add. eund. s. Resp. 62. n. 6. seqq. Deniq; non impedit patria potestas, quominus sponsus sponsave ex conventionem suâ obligetur l. 57. ff. de judic. l. 39. ff. de O. & A. l. ult. §. 2. de V. O. Sed num ex hac causâ pater de peculio conveniri possit queritur? Quod affirmamus arg. l. 3. §. 9. seqq. & l. 41. ff. de pec. Non obstat, quod donare atque profunderere videatur filiusfam. peculium, dum præter necessitatem ad sumtuum convivii nuptialis erogationem se obligat, cum tamen abque illis sumtibus nuptias poterat contrahere; ast donationem ne quidem in liberâ peculii administratione contineri ex l. 7. pr. ff. de donat. l. 28. §. 2. ff. de pact. l. 1. §. 1. ff. quæ res pignor. constat. Resp. Quod tacita hîc subesse censeatur patris voluntas; cum enim non facilè paterna pietas istiusmodi impendia liberis deneget, maximè quod ad ipsius parentis honorem atque existimationem pertineant Coler. p. 1. Decis. 62. n. 29. Finckelth. obs. 66. n. 4. Inde justâ ratione motus filiusfam. neque contra patris voluntatem eadem promississe, nec omnino perdidisse videbitur vid. d. l. 7. §. 1. ff. de donat. junct. l. 12. §. 3. de adm. & peric. tut. modò nuptiales expensæ dignitati atque facultatibus paternis congruæ sint promissæ arg. l. 69. §. 4. de jur. dot. l. 43. ff. de leg. 3. d. l. 12. §. 3. de admin. tut. secus enim prodigalitatem promissio omnino saperet, nec patrem ultra modum obligaret arg. d. l. 7. pr. de donat.

Vel (2) sponsi sponsæve aut utriusque nomine alii paci-
 scuntur: utputa PARENTES, quippe qui ut plurimum impen-
 dia nuptiarum suppeditant, atque adeò pactis sibi liberisque
 prospicere possunt §. 19. *Inst. de inutil. stipul. l. 38. §. 20. ff. de V.O.*
Carpz. 2. Const. 33. def. ult. ast in præjudicium liberorum pacta
 parentum non valent *l. 7. C. de jur. dot. CURATORES, l. 15. ff. de pact.*
§ t. t. ff. § C. quand. ex fact. tut. vel Cur. quorum tamen pactio
 ita debet esse comparata, ut honestatem quidem respiciat, ast
 non liberalitatem sapiat, *l. 12. §. 3. l. 13. §. fin. de admin. tut.* Nam
 dotem quidem & donationem propter nuptias, & alia ad elo-
 cationem nuptiasque necessaria adultis præbere possunt &
 debent, *l. 52. ff. d. t. at cum ad dignitatem & facultates eorum,*
l. 13. pr. eod. l. 60. de jur. dot. tum maximè ad modum debitum ad-
 stricti sunt. *l. 9. C. de admin. tut. Mev. 2. Dec. 121.* Caveant ergò
 sibi Curatores, ne majores faciant aut promittant nu-
 ptiales sumtus, quàm bonorum dignitatisque ratio efflagi-
 tat. De suo enim solvere tenentur, si scienter modum exces-
 serunt; *l. 43. §. 1. ff. d. t.* ibique Brunnemañ. si ignoranter, quod
 supra vires promissum est, nullum est *d. text.* Menoch. 3. *præ-*
sumt. 1. Perez. ad tit. C. de dot. promiss. in fin. Carpz. 2. Const. 42. def. 16.
 PROCURATORES, *l. 10. §. ult. cum seqq. ff. de pact. §. 6. Inst. per quas per-*
son. cuique acquir. modò hi mandati fines diligenter custodiant
l. 5. pr. ff. mand. secùs enim non obligant mandantem *l. 12. C. de*
pact. & non solùm huic, sed & compaciscenti, si nim. mandans
 ratificare pactum nolit, ad interesse tenentur: *Carpz. p. 2. Const.*
20. def. 11. seq. si nullis circumscriptum fuerit finibus manda-
 tum, ad præsumtam mandantis voluntatem istud reducen-
 dum & quod bonæ fidei congruit, agendum est: *l. 35. l. 46. l. 60.*
§. fin. ff. mandati. Inde excusabitur mandatarius, si, quod digni-
 tati atque facultatibus mandantis, pro negotii hujus ratione
 convenit, atque ex more regionis, ubi nuptiæ debent peragi,
 decorum est, in conventionem deduxerit: Id enim mandans
 in dubio voluisse præsumitur, quod moris est, *arg. l. 34. ff. de R. J.*
 & procurator consueta faciens non censetur mandati fines
 excessisse. Brunneman. *ad l. 5. ff. mandati n. 3.* Denique omnes,
 qui

qui sponso sponsæ ad præstanda nuptiarum impendia obligati sunt, pacisci desuper cum alterâ parte possunt, ob proprium scil. interesse, per §. 19. *Inst. de inutil. stip. l. 38. §. 20. de V.O.* Carpz. p. 2. *Const. 33. def. ult.* Quin & hodiè quivis extraneus, licet sua nihil intersit, sponso sponsæ nuptiales impensas stipulari potest, si, quod multi tradunt, regula de non quarendâ alteri per alterum obligatione, ab usu fori in Germania recessit Cothman. *resp. 54. n. 87. Vol. 2. Mev. p. 4. Decis. 111. n. 5. 6.* Magnif. Dn. Struv. *in Diss. de Invoc. Nom. Div. th. 21.* Magnif. Dn. Schilter. *Exerc. π. IIX. th. 23. seqq.*

TH. XII.

Cæterùm hujusmodi conventionibus à parte sponsæ haut rarò adjicitur pactum, ut sponsus nuptiales impensas à sponsa ejusve nomine ab alio factas, dotis nomine accipiat & soluto matrimonio easdem restituat: Carpz. p. 3. *Const. 20. def. 37.* quod interdum etiam nuptiis jam peractis, tacitè & ex ipso facto inducitur, puta, si focer diligenter hosce sumptus consignârit & dotis loco æstimârit, gener vero hanc consignationem acceptet & focero super istis expensis apocham exhibeat vel saltem in dotem imputationi non contradicat: acceptatio enim inducit patientiam, consensum & obligationem Tuschus *Pract. Conclus. Lit. A. Conclus. 70. n. 4. & Lit. S. Conclus. 69. n. 6.* Hering. *de fidejussor. C. 24. n. 235.* Et quietatio obligat scribentem ad causam in eâ expressam. Mascard. *de probat. vol. 3. Conclus. 1252. n. 29.* Munnoz. *de Escobar. de ratiocin. administr. C. 40. n. 22. seqq.* Finckelth. *obs. 66. n. 16. seqq.* Apponitur etiam non rarò pactum de lucrands donis nuptialibus, quo sibi prospicere nôrunt, qui sumtus nuptialis convivii vel in totum, vel pro parte subministrant atque erogant, illud omninò ratum erit ac obligatorium.

TH. XIII.

Quod si autem pacta deficient, & nihilominus placeat nuptiarum quendam apparatus facere, tunc secundum morem regionis, ubi nuptiæ celebrari & epulæ instrui debent, rem æstimari & suam cuique sumtuum partem tribui convenit arg. *l. 34. ff. de R. J. l. 6. ff. de Evict.* Dum enim desponsati in certum locum, quo solemnitates nuptiarum debeant peragi, consentiunt,

tiunt, tacitè simul in id consentire censentur, quod secundum morem in isto loco receptum, pro negotii hujus ratione, unumquemque deceat. Sin verò regionis mos non appareat, æquum esse videtur, ut non minus sponsa quàm sponsus contribuatur, nec una pars præ alterâ sumtuum erogatione gravetur. Præterquam enim quod ad utrumvis spectet hoc negotium, commodum quoque exinde proveniens communicatur & quæ a convivis nuptialibus dari solent munera, ipsis æqualiter acquiruntur *Carpz. p. 3. Const. 22. def. 1. seq.*

TH. XIV.

Subiectum.

Suis itaque sumtibus nuptiale convivium instruunt novi conjuges, nisi fortè ex alterius liberalitate istos nanciscantur, aut ex promissione alium sibi obligatū habeant. Nam citra promissionem ne patrem quidem, in cuius potestate sponsus sponsave existit, ad hos sumtus teneri, verius est. Quanquam enim ad ejus officium spectet ut liberos honestè collocet in matrimonium & congruam pro filia dotem atque donationem propter nuptias pro filio constituat, *l. 19. ff. de rit. nupt. l. ult. vers.* neque enim *C. de dot. promiss. l. 6. de Collat.* atque ad id officio judicis compelli possit *d. l. 19. de R. N. Gail. 2. obs. 95. n. 1. Carpz. p. 2. Const. 42. def. 12. Riminald. jun. Conf. 31. n. 79.* neutiquam tamen hæc necessitas ad sumtuum nuptialis convivii præstationem, præter mentem & rationem LL. extendenda est. Istud enim hanc ob causam introductum est, ut liberi honestam nubendi uxoresve ducendi conditionem inveniant, & matrimonii onera inde sustineri possint *d. l. 19. de R. N. l. 76. in fin. ff. de jur. dot. Carpz. Decis. Illustr. 16. n. 3.* Quæ sanè ratio cessat in sumtibus nuptialis convivii, quippe qui in ipsa nuptiarum festivitate consumuntur, adeoque ad matrimonii onera ferenda haut profunt: neque in hunc finem eos impendimus, ut nuptias conciliemus, sed ut majori elegantia atque splendore eas celebremus. Equidem ut parens in liberorum nuptiis vel aliqualem saltem apparatus faciat, id ex moribus ubique ferè receptis decorum atque honestum videtur, paternoque officio benè conveniens; maximè si locuples ille sit & commodè id effectui dare possit, sed ad hoc obligatum eum esse atque

atque cogendum, id Legibus civilibus definitum haut est. Neque enim omne id, quod quis pietatis atque honestatis intuitu facere debet, idem præcisè facere cogitur *v. l. 34. ff. de neg. gest. l. 32. §. 2. de condict. indeb. l. 50. fam. ercisc. l. 14. C. de accus. § in script.* siquidem multa honestè præstantur, quæ tamen non ex obligatione, sed ex liberalitate procedunt *v. l. 12. §. 13. de admin. & peric. tut. l. ult. C. de dot. promiss.* Neque etiam necessitas quædam inducta exinde probatur, quod ab antiquissimis temporibus in hunc usque diem parentes liberis suis matrimonium ineuntibus convivia nuptialia parare siveverint: Usus enim inveteratus & mores continuati tum demum inducunt consuetudinem, quando fiunt eo animo, ut credas, te jus habere vel obligatum esse in futurum etiam id agendi, & quando iste tacitus consensus ad præcipiendum vel obligandum ex aliqua conjectura apparet. *Gloss. in C. fin. de Consuet. verb. præsc. per l. 1. §. 6. ff. de itin. actuq. priv. Magn. Dn. Struv. in d. Diss. de Inv. N. D. th. 26. circa fin.* Parentes autem ex solâ in liberos suos propensione atque liberalitate hætenus sumtus illos erogârunt, nequaquam verò quod putaverint, se jure ad hoc compelli posse; ut taceam, quod multi parentes morem istum non observent, & vel parum vel nihil planè ad liberorum nuptias conferant, aut si qua impendia faciunt, in horum compensationem nuptialia munera sibi vindicent.

TH. XV.

De patre naturali hîc quæritur, *num, si velit, possit suis sumtibus naturales vel spurios liberos dare nuptui?* quod affirm, quanquam non par omnium sit ratio. Nam naturalibus quidem ex concubina susceptis, si legitimi liberi adsint, unam tantum dare unciam patri permittitur; non existentibus verò liberis legitimis, nullus patri naturali modus est positus, sed, modò ascendentibus, si quos habet, legitima portio servetur, totam suam reliquam substantiam tam inter vivos, quam mortis causa in naturales liberos transponere, eorumve causa erogare ipsi concessum est. *Nov. 89. C. 12. & Auth. licet. C. de nat. lib. ibique Brunnem.* Spurios verò quod attinet, aliosque ex damnato coitu natos, quanquam de jure Civili ex bonis patris

C

tris



tris haut quicquam & ne alimenta quidem capere posse videantur, per *d. Nov. C. ult. & Dd. communiter in d. Auth. licet. Mynf. 1. obs. 35. Gail. 1. O. 88. n. 1. Schneid. ad §. legari. Inst. de Legatis. num. 5.* Hunc tamen juris rigorem æquitas juris Canonici mitigavit per text. *C. 5. in f. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult. ibidem Gloss. in verb. secundum facultates.* Inde in Camera Imperiali conclusum fuit, quod pater filiam spuriam & ex damnato coitu natam moderatè dotare possit teste *Gail. d. obs. 88. Schneid. d. l. n. 6. Matth. in Auætariorum de divort. Legum & Usus in mater. success. Aphor. 14.* Sed num idem dicendum sit de sumptibus nuptialis convivii, de eo adhuc dubitare licet, maximè si liberi adsint ex justo matrimonio procreati.

TH. XVI.

De successoribus feudalibus specialiter notandum est, quod hi etiam citra suam promissionem nuptialis convivii sumtus interdum ex feudis præstare fœminis teneantur. Cùm enim hæ à successione feudorum propter sexûs imbecillitatem aliasque rationes regulariter excludantur per text. *1. F. 1. §. 3. & 1. F. 8. §. 2. Schrader. de Feud. p. 7. C. 4. rubr. de success. descend. fœm. n. 1.* in quo concordat jus Sax. Feudale, uti patet ex *art. 2. Lehnr. in princ. ibi: Pfaffen und Frauen junct. art. 6. & 21. Georg. Schulz. in Tract. Feud. c. 8. n. 46.* quæ assertio ita extenditur, ut nec legitima filiabus ex feudo (*nisi ex eo, in cujus comparationem pater omnia sua bona vel maximam eorum partem impendit*) debeatur, *Carpz. 2. c. 46. d. 24. & 3. c. 9. d. 28. seqq. Dn. Struv. Synt. Feud. c. 14. Aphor. 19.* Idcirco moribus ex æquitate receptum & longævâ consuetudine introductum est, ut deficientibus vel non sufficientibus bonis allodialibus non solum alimenta & dos congrua; verum etiam cæteræ nuptiales expensæ (*Geschmuck / Kleider- und Hochzeit-Gelder*) defuncti Vasalli filiabus atque neptibus, ex feudo suppeditari, vel saltem suppleri debeant *Carpz. 2. c. 46. d. 16. & L. 4. Respons. jur. Elect. 65. Mev. 2. Dec. 119. seq. Coler. p. 1. Dec. 28. n. 4.* Ita responderunt Dnn. Scabini Lipsienses A. 1629. (*Verba Sent: Da nun die Erbschaft euren Bericht nach also nicht beschaffen/ daß die Töchter daraus ihren Unterhalt/ Ehe-Schmuck*

Schmuck und Hochzeit-Geld nothdürfftig und der gebühr nach haben können ꝛ. So werden sie aus den Lehngütern selbiger Forderungen wegen billig befriediget und ausgestattet. Idque verum est non solum quando filii, fratres, vel quicumque agnati in feudo succedunt; sed etiam quando ipsi Domino feudum aperitur: Carpz. d. l. def. 16. n. 7. Schneid. ad §. fuerat 29. Inst. de Act. n. 97. Hart. Pistor. 2. quest. 37. n. 1. Quin & idem obtinet, si ad tertium possessorem, qui neque dominus est, neque à Vasallo defuncto causam, habet, feudum pervenerit. Hartm. Pistor. d. l. n. 9. Rosenthal. de feud. tom. 1. Conclus. 47. n. 7. Dn. Struv. Synt. Feud. cap. 14. Aphor. 17. n. 1. Quantumvis enim onera ac debita feudalia tacitæ hypothecæ jus in feudo non causentur, Carpz. 2. c. 46. d. 33. attamen jus feudatarium operantur, feudumque ita afficiunt, ut cum ipso ad quemvis possessorem transeant & actione in factum subsidiaria possessor conveniri possit. vid. Ordin. Process. judic. Elect. Sax. tit. 45. §. es trägt sich auch oft zu. Carpzov. 4. Resp. 68. n. 13. seqq. & de Oner. feud. Decad. 5. Pos. 8. n. 27. seqq. Sicut autem nuptiarum impendia ex feudo haut præstanda veniunt, si bona allodialia sufficiunt, (nisi fortè lege alicubi aut conventionem aliud sit constitutum vid. Dn. Mev. 3. Dec. 363.) ita nec debitum ad elocationem filiarum aut sororum contractum à feudi successoribus exsolvendum est, priusquam hæreditas sit discussa. Mev. 2. Dec. 122. Carpz. 2. c. 46. d. 13. num. 3. Berlich. 2. Concl. 55. n. 39. seqq. Quamvis in terris Electoratûs Saxon. introductum sit, ut debita elocationis ratione contracta feudi onus sint, hereditate etiam solvendo existente, vid. d. Const. Elect. 46. p. 2. ibique Carpz. def. 13. seq. & 4. Resp. 65. n. 11. seq. Ubi quæri potest: an impense nuptiales saltem promissæ ex feudo sint depromendæ, si bona allodialia Vasallus promissor reliquerit? quod affirm. Carpz. d. l. def. 15.

TH. XVII.

Circa modum hujus elocationis notandum est, quod non solum feudi conditio atque pretium, deducto scil. ære alieno, sed etiam aliæ circumstantiæ, ut dignitas patris, liberorum numerus &c. sint respicienda Carpz. d. l. def. 18. n. 6. Dn.

Struv. *Synt. j. F. cap. 14. Aph. 17. n. 5. Richt. de privileg. cred. c. 4. sect. 1. n. 171.* Vid. tamen Mev. p. 3. *Dec. 364.* cum primis autem consuetudo loci observanda est. *Carpzov. d. l. def. 17. § de oner. feud. Decad. 3. Posit. 3. circa fin. Mev. d. l. Quod si verò de impendiorum quantitate partes convenire nequeant, arbitrio & moderationi Domini ea committitur; quippe cujus maximè interest, feuda non nimis onerari. Hartm. Pistor. d. q. 97. n. 19. Dn. Struv. d. l. n. 3. Carpz. d. decad. 3. Posit. 5. n. 12. seqq. Mev. 2. Dec. 121. n. 3.* Non autem feudi vires secundum tempus mortis Vasalli, sed nuptiarum respiciendæ sunt, prout hoc latius deducit *Carpz. Dec. Illustr. 283.* Inde sequitur, quod successores feudi, easdem, quas pater in elocatione unius filia fecit, expensas cæteris non præcisè teneantur præstare *Carpz. d. Const. 46. def. 19. & de oner. feud. d. l. n. 15. seqq. Mev. 3. decis. 366. add. eund. 2. Dec. 119.*

TH. XVIII.

Objectum.

Quid nomine SUMTUUM CONVIVII NUPTIALIS veniat, ex traditâ superius definitione facile dignoscitur. Non scilicet quamvis nuptialem impensam & quicquid ad elocationem liberorum & contrahendas nuptias pertinet, rubrica completitur, sed eos duntaxat *sumtus*, quos in *nuptiale convivium* & hujus occasione, ut in personas, quorum ministerio ad epulas instruendum, itemque ad invitandum atque exhilarandum convivas utimur, impendimus. Itaque latior aliquantò est significatus *sumtuorum* sive expensarum nuptialium, deductâ voce *Convivii*, utpote quibus etiam vestium nuptialium & ornamentorum pretia continentur vid. *Mev. P. 2. Decis. 120. seq. Carpz. 2. Const. 46. def. 14. § 3. C. 11. def. 22.* Quamvis nec hæc acceptio perpetua sit, sed subindè à Dd. *expensarum nuptialium* nomine, in *convivium* factæ tantum designentur vid. *Schneid. ad §. quedam actiones. 20. tit. de Action. fam. erisc. n. 46. Inst. de Act. Matth. in tr. de success. C. 17. Aph. 23. Carpz. 3. Const. 11. def. 21.* & si vernaculo sermone eas effera-
mus, *Hochzeit-Beylagers-Kosten* / solas expensas in nuptiale epulum factas denotent, & à cæteris impendiis in ornatum atque vestes nuptiales erogatis (*Schmuckgeldern*)
ple-

plerumque distinguantur, quod apparet ex præjudiciis ap.
Carpz. d. def. 14. & seqq. subnexis, in quibus Hochzeit = und
Schmuck = Gelder it. Ehe = Schmuck = und Hochzeit. Gel-
der distincte exprimuntur. Conf. eund. Carpz. 3. C. 11. def. 21.
& seq. ibique adducta præjudicia. B. D. Richter. de privil. cred.
C. 4. sect. 1. n. 167. Cum igitur usus vocabulorum ferè promi-
scuus sit, magis ad sententiam loquentium, quàm ad verba
est respiciendum l. 7. §. f. de supell. leg. l. fin. §. 1. C. de SS. Eccles.
præprimis si voluntatis conjectura ex circumstantiis aut ali-
unde capi possit; cum & aliàs verba potius impropriare,
quàm à voluntate loquentium aut rei veritate recedere de-
beamus. Baldus in d. l. 7. §. f. Conf. Mevius P. 7. Dec. 43.

TH. XIX.

Sumtibus convivii nuptialis indefinitè promissis, inter-
esse putamus, utrum pro suo alteriusve arbitrio quis eos sup-
peditandos promiserit, vel simpliciter atque detractâ arbitrii
mentionem. Priori casu, quàmvis incerta videatur quantitas
promissa, tamen efficax est promissio & recurritur ad arbitri-
um boni viri l. 3. C. de dot. promiss. l. fin. C. de contrahend. emt. Se-
cùs tamen est, si non quantitas solùm, sed ipsa obligatio in
promissoris arbitrium confertur per l. 17. & l. 46. §. f. de V. O.
l. 8. de O. & A. vid. Dn. Struv. Exerc. 47. th. 19. Sed quid si in ter-
tiii alicujus arbitrium expensarum nuptialium quantitas à
promittente collata fuerit & ille non arbitretur? tunc evane-
scit stipulatio l. 43. l. 44. de V. O. d. l. fin. C. de contr. emt. Secùs est in
sumtibus legatis, quos v. g. Titii arbitrato testator dare jussit:
nam licet Titius non arbitretur, heres tamen non liberatur,
sed viri boni arbitrio nihilominus suppeditare sumtus tenetur
l. 1. §. 2. de Leg. 2. l. 43. de Leg. 3. l. ult. §. 1. C. Commun. de Leg. Dn.
Struv. Exerc. 35. th. 98. Posteriori casu Promissio ob incerti-
tudinem de jure Civili haut subsistere videtur per l. 115. pr. de
V. O. l. 94. eod. l. 56. §. 3. mand. Quamvis ipse pater sit, qui
promisit, cum nec hujus indefinita promissio ex legibus
certitudinem accipiat; secùs atque dotis incerta quanti-
tas à patre promissa ex hujus facultatibus & dignitate
mariti definiri potest ac debet l. 69. §. 4. de jur. dot.



In dotis enim præstatione etiam citra conventionem, juris necessitas est, quæ in sumptibus convivii nuptialis deficit, *l. 19. de R. N. l. 6. de Collat. l. 7. C. d. dot. promiss.* Neque ex more regionis determinari posse horum sumptuum quantitatem existimo: quandoquidem hic ipse incertus est atque varius, ad quem normare promissionem non possumus *l. 34. d. R. 7.* Et quamvis hodiè ubivis ferè locorum per decreta Politica sumptibus nuptialibus certus sit præfinitus modus, (*vid. th. 23.*) tamen cujuslibet arbitrio relictum est, quid intra istum modum impendere velit, ut proinde promissor vel minutissimæ quantitatis præstatione sese liberare posset, quæ incertitudo promissionem omninò vitiat. *vid. Gothofr. ad l. 1. C. de dot. promiss. Lit. g. verb. vel vilissimum quidpiam. Brunn. ad l. 69. ff. de jur. dot. n. 4.* Quod si tamen ex sermone ante habito vel aliunde voluntas promissoris colligi & quantitas determinari possit, promissio non erit inutilis *l. 94. de V. O. junct. l. 134. §. 1. eod.* Ita quando parens v. g. liberis suis innuptis indefinitè promittat aut præleget nuptiales sumptus, eam promississe aut legasse quantitatem videbitur, quam in cæterorum nuptias antea erogavit, quæ præsumptio ex æquali liberorum amore, ipsi naturæ congruo, firmiter inducitur. *Vid. Mev. 7. Decis. 42. nisi urgens justaque mutatae voluntatis causa probari possit. Id. 2. Dec. 118. n. 7.* Cæterum ex æquitate juris Canonici omnem promissionem omneque legatum incertæ quantitatis, ex verisimili promissoris testatorisve mente sustineri, & pro modo facultatum ejus, & dignitate ac caritate vel necessitudine legatarii aut stipulatoris, determinari debere, nonnulli statuunt, idque moribus receptum esse tradunt, quos citat *Vinn. ad §. 22. Instit. de Legat. n. 3. in f. Brunnem. ad l. 94. de V. O.*

TH. XX.

Quær. autem hîc *num. certa pecunie summa zu Ausrichtung der Hochzeit oder Beylagers promissa debeat, si non solenne aliquod convivium instituatur?* Quod quidem ideò negandum videtur, quia si aliquid ob certam aliquam causam & ad certum aliquem finem datum est, causâ non secutâ
con-

condici potest *t. t. ff. & C. de condict. caus. dat. caus. non sec. multo*
 minus ergo ob causam promittens, eâ non secutâ, ad servan-
 dum promissa tenebitur, cum jura facilius succurrant vigi-
 lantibus & nihil solventibus, quam indebitum repetentibus,
arg. l. 3. §. ult. ibique Dd. quod quisque juris &c. & cui datur
 actio ad solutum repetendum ei multo magis exceptio da-
 bitur, quò minus solvere cogatur. *l. 1. de superficieb. Fulgof.*
Conf. 186. Col. pen. vers. postremo Alex. Conf. 47. inf. Lib. 3. Sed
 affirmativam veriore putamus; siquidem non cessat cau-
 sa, si vel qualiscunque nuptiarum apparatus fiat, quamvis
 non totam summam legatam iste absorbeat. Accedit, quod
 quælibet dispositio, quantumvis adversa & stricti juris, ita
 interpretanda sit, ut sustineatur & non sit vana, inutilis vel
 elusoria, *l. si stillicidii 8. quemadm. serv. amitt. Menoch. Conf. 275.*
n. 29. idque imprimis in ultimis voluntatibus obtinet. *Decius*
Conf. 601. n. 31. Steph. Gratianus discept. for. C. 104. n. 61. Et ita
 Ampliff. *Facultas Jurid. Jenens. Mens. August. 1672.* re-
 spondit: **Obwohl dasjenige so ob certam causam vel finem**
gegeben / non secutâ causa condiciret werden kan. Dies
weil aber diese causa in gegenwärtigen Fall nicht cessiret /
in betracht die Ausrichtung des Beylagers nicht in con-
suntione omnimodâ der 1000. Gûlden bestehet / daher o
auch qualiscunque apparatus unter dem Wort Ausrich-
tung begriffen. So seynd die Herren Lehnsfolgere die
obgedachten 1000. Gûlden ihres Einwendens ungeacht
et zuerlegen verbunden V. R. W.

TH. XXI.

Porro quæritur: *si parens filia sua Titio desponsata, ad nu-*
ptias cum hoc suo sponso celebrandas, certam pecunie summam prele-
gaverit; Titio autem ante nuptiarum festivitatem defuncto, filia nu-
bat Cajo; num ad has nuptias legatum trahi debeat? Videtur
 quod non, cum Legata strictæ sint interpretationis, *Hippol.*
Riminald. Conf. 216. n. 9. seq. L. 2. Menoch. Conf. 56. n. 20. quare
 Testator præsumitur legasse quod minus est *l. 43. §. 1. in f. de*
Leg. 2. Finkelth. Obs. 20. n. 16. seq. ubi plures text. atque *Dd.*
 alle-

allegat. Cum ergò Parens nuptiarum cum Titio contrahendarum solum mentionem fecerit, ad hujus personam videtur respexisse, indeque restricta illa atque limitata dispositio non potest non restrictum quoque & limitatum habere effectum *l. 31. de oper. libert. l. 1. §. 5. de itin. act. priv. l. fin. C. ne ux. pro marit.* Et sicut promissiones ac legata in quibus nuptiarum fit mentio, habent tacitam conditionem, *si nuptia sequantur, l. 24. C. de nupt.* ita determinata ad hanc personam, habent tacitam conditionem *si cum hac personâ sequantur*, quod multò magis in hisce sumptibus nuptialit. obtinebit. Verùm contraria placet sententia. Quippe Pater non videtur restrinxisse ad Titium hanc suam dispositionem; sed potius nominasse eum, ut præsentem sponsum *filia* exempli loco, ceu de cujus obitu ante nuptias ne potuit quidem cogitare; quod si cum alio, vivente patre contraxisset *filia*, eum sponsum nominasset, aut si non contraxisset, generaliter legasset, cum ubivis eadẽ subsit ratio; Et quod magis ad *filiam* respexerit pater, quàm ad *Titium*, inde apparet, quod filia prælegaverit, non autem legaverit sponso nominato. Atq; ut plenius interpretemur hanc parentis voluntatẽ, rejectâ restrictione odiosâ, suadet favor sanguinis arg. *l. 50. §. ult. de Leg. 1. & l. pen. pr. de alim. & cib. leg.* ita benè Cravett. *Conf. 297. incip. verbo Legati n. 1. Natt. Conf. 626. n. 20. L. 4.* Sicut quoque donationes, aliàs minimè extendendæ, latiore interpretationem pati ob personæ conjunctæ conditionem eleganter tradit Gozzadin. *Conf. 60. n. 16. vers. sexto coadjuvatur.* Denique non deficit hîc conditio, quam tacitè hoc Legatum continere diximus, quippe hanc filia implet, cum secundo sponso nuptias celebrans. Limit. autem notanter hanc nostram Decisionem in duobus præprimis casibus, ut (1) si indigna sit persona alter sponso: cum eum noluisse præsumatur pater habere generum; aut (2) Si alia patris legantis mens ex circumstantiis appareat, ubi enim veritas apparet, nullus dubitationi locus relinquitur: quò pertinet commune illud dictum, Præsumtio cedit veritati, & veritas prævalet præsumptioni.

l. 110.



SS (25) SS
l. nuptura 57. ff. de J. Dot. l. f. pr. ff. quod met. caus. l. 25. de
probat.

TH. XXII.

Quemadmodum autem in omnibus rebus, ita vel ma-
ximè in erogatione SUMTUUM NUPTIALIS CONVIVII, medio-
critas ceu optimarum actionumque omnium norma, ad-
hibenda est. Nam utut splendor aliquis solito major nu-
ptiarum festivitati concedatur, tamen vitanda est summoperè
effusa & immoderata luxuria. Novi quippe conjuges, præ-
fertim ab initio, pecuniis maximè, ceu nervis rei familiaris,
opus habent ad suppellectilem, aliaque quæ ad quotidianum
corporis victum cultumque, & ad rectè instituendam œco-
nomiam pertinent, sibi comparandum; at splendidis nimis
atque sumtuosis nuptiis facultates eorum ita sæpiùs atterun-
tur, ut per totum vitæ tempus vix ac ne vix quidem restaurari
queant, & paucorum ille dierum splendor atque pompa mox
in egestatem summamque ignominiam non rarò definat.
Quin & si vel maximè hoc periculum ob amplissimas fortè
novorum conjugum facultates longiùs abesse videatur, aut
non ex ipsorum, sed parentum sumtu, vel aliunde luxus iste
sustineatur, minimè tamen probandus aut tolerandus est,
cùm & ditissimos sæpè ad summam paupertatem divitiarum
abusus adegerit, (vid. Bernegg. ad Tacitum q. 97.) & reipubl. ex-
pediat, ne quis re suâ malè utatur, quò cives ista habeat locu-
pletas §. 2. Inst. de his qui sui vel al. jur. ibique Schneid. Brunnem.
ad. l. 25. ff. de her. pet. n. 13. Illud equidem diffiteri vix possumus,
quod eos, qui honoribus sunt conspicui, opibusque inclare-
scunt, lautior deceat pretiosiorque nuptiarum apparatus,
quàm tenuioris fortunæ conditionisque convenit homini-
bus; sed cavendum tamen ubique est, ne nimis impensæ ex-
currant aut in immensum diffluant. Quamvis nec laudan-
da sit sordities, matrimonii excellentiæ dignitati que minùs
conveniens. Ut itaque justus servetur modus, ex persona-
rum dignitate facultatumque modulo dimetiendum statu-
endumque erit, quid pro loci consuetudine impendi debeat

Forma

D

atque



atque decorum sit, ita, ut neque avarus fordidusque quis au-
diat, neque luxuriosus aut prodigus videatur.

TH. XXIII.

Cumque periculo sum admodum videbatur, magni hoc
momenti negotium, quippe ex quo non solum singulae fami-
liae, sed ipsa quoque respubl. detrimentum capere potest, priva-
torum arbitrio unice committere, idcirco sicut olim in bene
moratis constitutisque rebuspubl. nuptiarum celebritati atq;
sumtibus terminus subinde praefinitus fuit; vid. Plutarch. l. 4.
Sympas. Prob. 3. A. Gellius 2. Noct. Attic. C. 24. Plato lib. 5. de LL. Ita
hodiernum apud Christianas gentes effrenatus nuptiarum
luxus severioribus Legum sanctionibus coercetur, & invitan-
dorum numero aequè ac ferculorum copia nec non alimento-
rum pretiis certus modus subinde praescribitur. Cujusmo-
di salutaris Constitutio extat in *Ord. Polit. Elect. Sax. de Ao. 1661.*
tit. 14. per tot. similemque caeteri quoque Saxoniae Principes in
suis territoriis condiderunt. Sicut etiam in Galliae, Hispan-
iae & Lusitaniae regnis, nec non in plerisque Italiae ac Ger-
maniae Civitatibus leges ejusmodi sumtuarias factas tectasq;
observari adserit Casp. Klock. *de Aerar. l. 2. C. 97.* Tanta autem
harum Legum quibusdam in locis est severitas, ut isti non so-
lum, qui in erogatione horum sumtuum praescriptum mo-
dum excedunt graviter plectantur, verum etiam ad convivas
aliosque, eos praepimis, quorum opera ad instruendum epu-
las utimur, poena porrigatur. Sic Carolum IX. & Henricum
III. Galliarum Reges praecipisse refert Joh. à Chockier *Thes.*
Pol. Aphor. lib. V. c. 19. Exempl. 4. ne in nuptiis plus quam tria
fercula apponantur, constituta in transgressores legis poenam
200. librarum Parisiensium, atque etiam in eos qui interfue-
rint, nec rem censori manifestaverint 40. librarum consimi-
lium: qua etiam plexos fuisse Censores, s. iudices, qui inter-
fuerint, nec è vestigio recesserint; quinimò in ipsos coquos
animadversum. Quas leges superioribus annis ab Henrico
IV. Galliarum Rege renovatas esse dicit Klock. *de Aerar. d. l.*
n. 6. Similiter in praelaudata *Elect. Sax. Ordin.* sancitum est, ut
praeco nuptialis (*Hochzeit-Bitter*) ab officio suo ad tem-
pus

pus removeatur, si minorem invitatorum numerum Magistratui falso renunciaverit: itemque convivarum quilibet tribus Imperialibus plectatur, si elapso triduo, quod nuptiis infumere permissum est, convivari non desistant.

TH. XXIV.

Qu. autem hinc: an novi quoque conjuges poena aliqua affiendi sint, si parentes eorum sumtus nuptiales erogando, praescriptum modum non observaverint? Quod negandum esse existimamus, quia ex alieno delicto atque culpa alius luere non debet *l. 22. C. de poen. t. t. C. ne filius pro patre &c.* Non obstat, quod videantur patientiam suam delicto accommodasse taciteque illud approbasse; quandoquidem nuda actus scientia consensum haut importat, si sciens facultatem prohibendi non habeat *l. 50. de R. J. l. 2. & 3. de nox. act. l. 9. §. 1. de L. Cornel. de fals.* aut ex obsequii necessitate tacere teneatur: *l. 4. de R. J. Conf. Grot. de j. B. & P. Lib. 2. C. 21.* secus foret, si ex eorum mandato atque voluntate limites fuerint superati, cum enim tunc complices sint delicti, merito quoque poenae fiunt participes *l. 7. §. ult. de jurisdict. l. 11. §. 3. de injur.*

TH. XXV.

Præterquam verò quod transgressores statutam Legibus poenam incurrant, ipsos quoque nuptiales sumtus, quos licet animo credendi, supra tamen modum erogarunt, deperdunt arg. *l. 5. C. de LL. ad id tamen, quod impendi licite potuit, recuperandum, datur actio l. 25. de neg. gest. sed; Num superflui refusi detur condictio, quaeritur? Neg. si ex errore juris solutio sit facta arg: l. 26. §. 12. de condict. indeb. secus si ex errore facti l. 10. C. de jur. & fact. ignor.*

TH. XXVI.

Non tamen omne subditis hinc in re arbitrium ademptum, sed limitibus saltem illud circumscriptum est, intra quos sese continere tenentur: minorem quippe sumtum, quam qui in genere praefinitus est, facere cuilibet licet: quò spectant verba *d. Ord. Elect. Sax. §. 1.* So soll hinführo keiner von Adel auf der Wirthschafft/ so er vor sich / seine Kinder oder Freunde ausrichtet / auffß höchste mehr nicht / als eine

Doppeltafel ꝛ. it. §. 2. So viel aber das Confect anlanget / soll auff eine einfache Taffel zum höchften / über 5. Thaler nicht / auffgetragen werden. Cum enim LLator exactè singulorum vires nosse & cujuslibet patrimonio legem sumtuariam aptare nequeat, Reipubl. autem exitiosum sit, si cives dignitate quidem pares, ast opibus planè impares, eodem pede commetiendi sint; idcirco quædam subditorum arbitrio ut relinquuntur, rei hujus non aliter fert conditio, quamvis & hoc arbitrium rectius Magistratum inferiorum temperamento subjiciatur, qui ex dignitate personarum & facultatum modulo, nec non familiarum conditione invitandorum numerum definiant, quod & placuit Sereniss. Elect. Sax. in d. Ord. §. 3. verb. nach gelegenheit seines Standes / Amts und Vermögens und nachdeme die Freundschaft auf des Bräutigams und der Braut seiten groß und weitläufig / ihme zuerlauben / welches denn in allewege auff Erkänntniß und Ermessung der Obrigkeit stehen soll ꝛ.

TH. XXVII.

Finis.

Impenduntur autem NUPTIALIS CONVIVII SUMTUS in eorum præcipuè gratiam, qui propinquitate aut singulari amicitia sponsum sponsamque contingunt, atque ab his invitati nuptiarum solemnibus interesse dignantur: Ut enim hos neonymphi comiter accipiant, id honestatis quandam præ se fert speciem, prout supra th. 8. circa fin. ostendimus. Idque eò magis verum est, quò certius esse apparet, Convivia nuptialia eum in finem ab antiquissimis temporibus instituta fuisse, ut inter binas illas familias, quæ per nuptias copulantur, major quædam notitia atque amicitia arctior contrahatur. Conf. Stuck. l. 1. Antiquit. Conviv. c. 24. Cypr. de jur. Connub. c. 4. §. 4. n. 3. Quam etiam causam esse conjicio, quod quibusdam in locis, peractis nuptiis, sponsi sponsaque consanguinei atque affines proximi novos conjuges, seque mutuò conviviis, (vulgò Brautmähler dictis) soleant excipere; quæ, modò luxus absit & non nimis frequententur, non omninò improbanda esse reputo. Illi autem malè sumtus nuptiales collocant, qui vanâ quâdam & inani gloriâ seducti, saltem ad o-

sten.

stentandam suam opulentiam, lautiora convivia instruunt, quos non rarò tenuis fortis homines imitantur & ambitiosâ suâ stultaque æmulatione res suas turpiter consumunt, & in eam se suosque paupertatem conjiciunt, ut ne sibi quidem sufficere, tantum abest, ut publica promovere commoda vel minimâ in parte queant. Ita quàm pessimè sumtus profunduntur & genuina impendendi ratio finisque honestus negliguntur. Sed quo minùs hoc fiat, quo vis modo cavendum est.

TH. XXVIII.

Occasione nuptialis convivii & sumtuum in hoc factorum solent ab invitatis amicis atque consanguineis munera, quædam nuptialia novis conjugibus offerri, quæ his æqualiter acquiruntur, ita, ut dimidia eorum pars ad sponsum altera verò ad sponfam pertineat, quàmvis fortè pro more regionis soli sponsæ vel etiam sponso soli eadem fuerint tradita. Nec quicquam interest, utrum ab unius consanguineis atque amicis plus minusve vel nihil omnino donatum fuerit. Vid. Carpz. 3. Const. 12. d. 1. seq. & Dissert. integram de Dono Nuptiali sub præsid. Nobiliss. Dn. Petri Mülleri habitam, C. 2. th. 12. seqq. ubi hæc omnia latius pertractantur. Sed quid si solus, v. g. sponsus, expensas nuptiales ex pacto vel loci consuetudine, aut quod sponsa ob inopiam nihil conferre potuit, erogaverit? Nihilominus ad sponfam nuptialia dona pro dimidiâ parte (nisi aliter conventum fuit) spectare censeo. Quantumvis enim nuptialibus epulis convivæ ad liberalitatem exercendam instigentur, hanc tamen magis ex affectu, quo sponsum sponfamve hæctenus profecuti fuerunt, quàm ex impendiis factis, solent metiri. Cuius quippe liberum est, utrum quid dare novis conjugibus & num magni momenti rem, vel saltem vilissimi cujusdam valoris donum, offerre velit, l. 1. §. 5. de tut. ac rat. distrab. l. 13. §. ult. de adm. tut. Accedit, quod matrimonium species quædam sit societatis; §. 1. Inst. de patt. pot. l. 1. §. 3. ff. de just. & jur. l. 1. ff. de rit. nupt. quicquid autem socius ex causa societatis acquirit, illud cum altero participare tenetur; §. 1. Inst. de societ. l. 29. §. 2. ff. eod. Ita concludit Carpz. d. l. def. 1. inf. Ex dictis quodammodo constat, quod nec parentes pro sumtibus, quos in liberorum,

Effectus.



nuptias erogârunt, citra conventionem nuptialia lucra sibi vendicare possint; cùm solis neonymphis convivæ donatum voluerint, ut eò rectiùs hi rem familiarem instruere valeant. Quanquam quibusdam locis parentes contrariæ consuetudini innitantur, quæ tamen ab ipsis contra negantes probanda est arg. *l. 1. C. de probat. Carpz. 2. c. 3. d. 22.*

TH. XXIX.

Quær. autem hîc, num dona nuptialia, pro dimidia ista parte, quam ad sponsam pertinere diximus, ad paraphernalia, an verò ad dotalia ejus bona sint referenda? si quidem hoc expressè fuerit actum, ut in dotem ista computentur, omni res careret dubio, cùm conventio det legem contractui *l. 1. §. 6. depos. l. 23. de R. 7.* Nec minùs pro dotalibus habentur, si sub nomine *Heyraths* inferantur, ex consuetudine nempe Germaniæ *Carpz. 1. Const. 28. def 87. n. 8.* Quod si verò simpliciter & absque qualitatis expressione apud matitum ea relinquuntur, tum potiùs paraphernalia quàm dotalia de jure Civili cenferi oportere verius videtur, *Carpz. 2. Const. 16. def. 11.* cùm dotis constitutio in facto consistat, *l. 1. C. d. dot caut non num. Brun. ad l. 72. ff. de jur. dot.* quod nunquam præsumitur, sed probandum est: *l. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. l. 9. C. de Collat. l. 1. C. de probat.* Nihilominùs tamen usu fori ex mente Dd. doti annumerantur, si ipso nuptiarum tempore illata fuerint, non quidem ex qualitate eorum in se spectatâ, sed potiùs ratione effectûs, imprimis prælationis Dn. *Richt. de Privileg. Cred. C. 3. sect. 1. num. 80. seqq. Carpzov. 1. Const. 82. d. 88. & 3. C. 22. d. 6.* Add. Dn. Præses in *Dissert. de jure Paraphernalium C. 4. th. 11.* ubi secundùm hanc sententiam ab Inclyta Facult. Jurid. hujus Acad. pronunciatum fuisse testatur. Cæterùm ad neutram horum bonorum speciem dona nuptialia spectant, si ab uxore marito ad usum vel administrationem ea concredita fuisse non constet. *vid. Mev. 2. Dec. 229.*

TH. XXX.

Alia est ratio expensarum nuptialium, quæ dotis qualitatem haut ingrediuntur, nec pro illatis reputantur, sive ab ipsa sponsa, sive ab alio ejus nomine erogatæ fuerint: quippe quæ

pe quæ nunquam in usus mariti convertuntur, quemadmodum nuptialia dona, sed in ipsis nuptiis consumuntur. Inde ex bonis mariti à viduâ ejusve heredibus minimè possunt repeti, Carpz. 3. *Const.* 20. *def.* 36. Brunnem. *Cent.* 5. *Dec.* 45. n. 4. nisi, quod multis in locis fieri solet, in dotem fuerint imputatæ, vel ut bona illata à marito expressè acceptatæ, vel animo credendi (zum Vorschuss) factæ à vidua ejusve herede probentur: Quibus casibus ex conventionem sua atque placito maritus tenetur l. 1. §. 6. ff. *depos.* Brunnem. *d. Decis.* n. 5. Carpzov. *d. l. def.* 37. Finckelth. *obs.* 66. n. 16. seqq.

TH. XXXI.

Sed num sumtus in liberorum nuptias facti post mortem patris in communem hereditatem conferri oporteat quæritur? Pro affirm. sententia facit I. quod expensæ nuptiales videantur esse accessorium sive augmentum dotis, de quo idem judicandum, quod de dote ipsâ. l. 26. §. 2. ff. *de pact. dot.* l. 8. *C. de jur. dot.* II. quod non minùs quàm ipsa dos, bona patris minuant. III. quod ex unius liberorum elocatione cæteri ex præsumptâ patris voluntate, quippe qui æqualiter omnes amâsse & elocare voluisse censetur, fundatam habeant intentionem. vid. Mev. p. 7. *Decis.* 42. & p. 2. *Dec.* 118. Sed his non obstantibus, Negativam defendimus: (1) quia de his sumtibus nil quicquam tanquam ex patris substantiâ ad liberos pervenit, ideò meritò à collationis onere regular. eximuntur *arg. l. 50. fam. ercisc.* (2) quia post mortem patris, sumtus in epulas nuptiales erogati, non amplius extant, neque etiam dolo aut culpâ liberorum consumti sunt, quales vir bonus conferendos esse non est arbitraturus l. 2. §. 2. *de Collat. bon.* Cothm. *vol.* 1. *Conf.* 3. n. 46. (3) quia hi sumtus ad honorem & existimationem patris potius pertinere videntur, indeq; faciliùs animus donandi in eo præsumitur Coler. *1. Dec.* 62. n. 29. Klock. *Conf.* 104. n. 178. Et hæc sententia communis est atque in Praxi servatur. Finckelth. *Obs.* 66. Brunner. *de Collat.* c. 4. *num.* 824. Carpzov. 3. c. 11. d. 21. Magnif. Dn. Struv. *Exerc.* 37. th. 43. Brunneinan. *ad l. 2. ff. de Collat.* & p. 5. *Decis.* 21. Meier. *in Coll. Arg. tit. de Collat. thes.* 8. Ad rationes in contrarium adductas Resp. ad I. Neg. quòd impense

se

ſæ nuptiales ſint dotis augmentum, niſi expreſſè in dotem impotentur, quod vel ex ipſis *alleg. texx.* apparet, verb. *additamenti cauſa in dotem datum.* Ad II. Reſp. quod non ſufficiat minui bona paterna, ut propterea quid conferendum ſit, ſed requiritur maximè, ut bona conferenda adhuc extent aut dolo culpavè ſint conſumta *d. l. 2. §. 2. ff. de Coll. bon. Dn. Carpz. d. def. 21.* Ad. 3. Reſp. inæqualitatem hîc vix intelligi, cum ut jam dictum eſt, haut quicquam ex nuptialis conviuii ſumtibus, tanquam ex patris ſubſtantia ad liberos pervenit. Et quàmvis quædam inæqualitas ſubſit, illa tamen ſuſtinetur ex ipſo facto atque conjecturata voluntate parentis, dum nempe ſine neceſſitate expenſas nuptiales erogavit, neque credendi animum ullo modo declaravit, unde donâſſe omninò præſumitur *arg. l. 34. ff. de neg. geſt.* Secus eſt in dote; de quâ Dn. Mev. *d. l. differit.* Quam cum ex neceſſitate juris pater conſtituat, donâſſe non præſumitur, *l. 82. de R. §. l. 29. ff. de donat.*

TH. XXXII.

Alia autem eſt ratio impendiorum, quæ non in convivium nuptiale, ſed in veſtimenta ac ornamenta nuptiarum tempore à parente facta ſunt: cum enim hæc ex ejus bonis reverà ad liberos perveniant, nec ſtatim conſumantur, ſed poſt mortem patris adhuc ſupereſſe poſſint, meritò collationi ſubjacent; quo ſpectant veſtes pretioſiores (non verò quotidianæ & vilioris pretii, quippe quæ alimentorum nomine comprehenduntur *l. 6. de alim. & cib. leg. Coler. P. 1. Decif. 62. n. 31.*) annuli, armillæ, torques & cætera ad ornamenta corporis pertinentia, it. Currus & ciſtæ nuptiales **Bräutwagen und Bräutkiſten.** *Cothm. Vol. 1. reſp. 3. n. 41. & ſeqq. Carpz. 3. Conſt. 11. def. 11. Colleg. Arg. d. l. th. 7. n. 9. ibique Tabor. Gail. 2. Obſ. 91. n. 5. 6. Diff. Weſenb. in Paratitl. ad ff. de dot. coll. n. 5. Matth. de ſucceſſ. C. 17. th. 23. vid. ibidem Dn. Struvium in not. ubi noſtram ſententiam uſu receptam eſſe teſtatur, & hanc in rem egregium adducit Ampliſſimæ Facult. Jurid. hujus Academ. reſponſum. Sed quid ſi ignoretur, quid quilibet liberorum nuptiarum tempore à parentibus acceperit? Tunc Col-*

latio

latio ut sub juramento fiat, per consuetudinem invaluisse tradunt Cothm. resp. 49. n. 53. seq. Vol. 1. Mev. 4. Dec. 232. ubi excipit nepotes, qui à parentibus accepta probabiliter ignorant. Cæterum nec conferuntur hujusmodi res, si absque dolo levique culpa interierint. l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. ff. de Collat.

TH. XXXIII.

Quanquam verò sumtus in nuptiales epulas facti regulariter non conferantur, limitatur tamen hoc assertum (1) nisi, quod sæpissimè solet fieri, in dotem à socero, consentiente genero, imputentur, tunc enim cum facti sint dos ejusvè pars, procul dubio conferendi erunt Carpz. 3. C. 11. d. 22. Dn. Struv. d. Exerc. 37. th. 43. Finckelth. d. Obs. 66. n. 16. seqq. vid supra th. 11. (2) nisi pater in testamento suo aliud de hisce expensis disposuerit, ut nim. ex communi patrimonio cæteris liberis tantundem ad nuptias faciendas præstari debeat arg. l. 3. §. 17. de mun. & honor. Brunner. de Collat. d. C. 4. n. 627. vel aliàs conferri eas in communem hereditatem jufferit. Carpz. d. l. def. 23. Cessat enim tunc præsumptio donationis, cum de aliâ patris voluntate constet. l. 25. ff. de probat. Quod & verum est, si saltem ex conjecturis appareat, patrem credendi animo impensas præbuisse, veluti si diligenter ac specialiter eas consignaverit: tum enim pater æqualitatem inter liberos servare voluisse præsumitur l. 1. pr. ff. de Collat. l. 17. C. eod. ibiq; Brunner. Coler. p. 1. Dec. 62. n. 32. Carpz. d. l. ne scil. occasio altercationis cujusdam inter liberos oriatur l. 6. §. 2. in f. C. d. bon. que lib. Nov. 22. C. ult. Non obstat, quod pater sumtus studiorum ad librum rationum referens, credendi animum habuisse non præsumatur, sed vel expressa declaratione vel aliâ probatione res indigeat, cum annotationis paternæ alia possit haberi conjectura Finckelth. Obs. 11. Brunner. de Collat. bon. C. 4. n. 86. & seqq. Hahn. ad Wesenb. ff. fam. ercisc. n. 5. Dn. Struv. d. Exerc. 37. th. 30. quorum sententia etiam confirmata est à Sereniss. Saxon. Electore in Nov. Decis. 50. manifesta enim in his deprehenditur diversitas; Quippe quod consignatio sumtuum studiorum non collationis, sed alterius rei gratiâ facta præ-

E

su-



sumitur, id efficit summus & singularis studiorum favor; sumtuum verò nuptialium annotatio eò facilius æqualitatem inter liberos introducit, quia deficit eorum favor & juris privilegium Finckelth. d. Obs. 11. n. 17. seq. & Obs. 66. n. 12. Nisi forsan evidenter appareat, hanc annotationem alio animo factam esse à Patre, ut si in communibus expensis domesticis cum aliis annotavit, wenn er in seinem gemeinen Haushbuche unter andern Ausgaben der Haushalth solche usgetragen: nihil enim novi, ut una præsumtio aliam tollat l. 6. ff. de in integr. restit. l. 30. ff. de V. & P. S. Masc. de Prob. concl. 405. n. 5. Est enim hæc ultima ceu specialis potentior ista generali. Natt. Conf. 164. n. 6. Vol. 1. Vultej. 1. Conf. Marp. 22. n. 70.

TH. XXXIV.

Quæ hæctenus de Collatione expensarum nuptialium diximus, egregiè illustrat atque roborat Responsum Ampliff. Scabinatûs Jenens. Mens. Jan. anni curr. ad requisitionem Joh. Casp. W. zu H. emissum, cujus verba sentent: Ist den bey des Vaters Lebzeit ausgestatteten Kindern Veiten und Marien/ieden absonderlich ein Hochzeitmahl verlegt/auch die Ehrenkleider ihren Stande nach geschaffet worden/und fordern nun die unausgestattete/das ihnen dergleichen geschehe/oder deshalb bey der Theilung satisfaction wiederfahre; Ob nun wol/so viel die Hochzeit-Kleider anbetrifft/billig und denen Rechten gemäß ist/das/dasferne dieselbige köstlicher denn sonst in gemein beschaffen gewesen/sie in collationem bonorum kommen/und denen andern deshalb eine Gleichgeltung wiederfahre: Dennoch aber und so viel die verlegte Hochzeit-Kosten betrifft/weil dieselbe ohne special- und ausdrückliche disposition des Vaters in keine collationem bonorum zu bringen/es sey denn/das sothane Kosten in dotem zu imputiren verglichen/oder an dessen statt nur die Hochzeit ausgerichtet wäre/so mag auch deshalb und auffer ietztberührten ausgenommenen Fällen/besonders Vergeltung und satisfaction dieses wegen mit Fug nicht

nicht gesucht werden/in Betracht/dass der Vater solche
 -blos animo donandi vorgeschossen und die Hochzeit aus-
 gerichtet zuhaben/die Rechte vermuthen V. R. W.

TH. XXXV.

Eadem Collationis ratio in materna atque avita, quàm
 quæ in paternâ fucceffione obtinere diximus, conspicitur *arg.*
l. 17. C. de Collat. Hartm. Pistor. p. 1. q. 19. n. 3. Berlich. Decif. 8. n. 4.
 ubi quoque tradit, nec illos sumtus conferri, quos mater in
 communione bonorum cum liberis permanens in unius al-
 teriusve nuptias expendit: quod tamen tunc verum est, ubi
 omnes liberi in illâ communione vivant, consentire enim,
 cæteri liberi præsumuntur, si sciant, ex re communi, ex qua &
 illi omnia necessaria accipiunt, expensas fieri, neque contradi-
 cant *arg. l. 38. de don. inter vir. & ux.* ibique Brunneman. inde,
 quamvis ex superius dictis satis constet, quod tantundem
 pro expensis nuptialibus, quantum pater in unius vel alterius
 nuptias erogavit, post mortem ejus cæteri ex bonis commu-
 nibus, petere nequeant, sed cogantur sumtibus propriis nu-
 ptias celebrare *Coler. Dec. 62. n. 30. Brunner. de Collat. d. c. 4. num.*
827. Carpz. 3. c. 11. d. 21. n. 9. Tamen si uni fratrum sororumve
 ex bonis istis communibus nuptiales impensæ suppeditentur,
 aut scientibus, neque tamen contradicentibus cæteris ab uno
 istæ fiant, in familiæ erciscundæ judicium eas haut venire ex-
 istimamus per *d. l. 38. de don. inter vir. & ux.* Conf. Schneid. *d. l.*
n. 58. modò omnes sint ejus ætatis atque conditionis, ut per-
 fectè consentire, resque suas donare possint Conf. Dn. Struv.
Exerc. 6. th. 39. seqq. Planè si fratres animo contrahendæ socie-
 tatis omnium bonorum in communi hereditate persistant,
 quod in unius nuptias infumitur, omnibus non immeritò im-
 putatur *arg. l. 39. §. 3. fam. ercisc. l. 73. §. 1. pro soc.* qui animus
 contrahendæ societatis universalis interdum ex ipso facto
 colligitur, veluti si fratres majorenes post mortem patris
 bona indivisa, non paterna tantùm, sed etiam cætera, in quo-
 rum communionem inciderunt, diu possideant, & indistinctè
 omnes redditus communicent, nec à se invicem rationes exi-
 gant; quæ omnia conjunctim requiruntur. Vid. Vinn. in



Comment. ad pr. Inst. de societ. n. 2. Franzk. in Comm. ad ff. tit. pro
 soc. num. 31. Brunneman. ad l. 4. ff. pro soc. Carpzov. 3. Const. 15. def.
 45. 47.

TH. XXXVI.

Qui credendi animo nuptiales expensas pro sponso
 sponsave erogârunt, repetere eas possunt actione mandati,
 sive expressis verbis mandatum intervenerit, sive ex tacito
 consensu istud induci possit: quippe qui patitur, suo nomine
 quid fieri, mandare intelligitur l. 6. §. 2. l. 18. mand. l. 60. de R. J.
 sed quid si, quâ mente sumtus facti sint, non appareat? Si
 quidem persona sit extranea, quæ sponsum sponsamve
 cognatione aut affinitate non attingit, in dubio non do-
 nandi sed repetendi animo impendisse censebitur, cum suum
 jactare haut præsumatur l. 25. de probat. l. fin. C. de novat. nisi
 fortè ex amicitia planè singulari atque paterna ductus expen-
 sas modicas fecerit arg. l. 44. de Neg. gest. ibique Brunneman.
 Ast si parens sit, magis est, ut donâsse, quàm repetere eas vo-
 luisse in dubio censeatur arg. l. 11. C. de neg. gest. verb. recipien-
 di animo te fecisse ostenderit, add. Bachov. ad Treutl. Volum. 1.
 Disp. 10. th. 3. lit. B. maximè cum sumtus nuptialis convivii
 non tam personam aut negotium filii filixve, quàm honorem
 atque existimationem parentis concernant, Coler. p. 1. Dec. 62.
 n. 29. Hanc tamen donationis præsumtionem cessare existi-
 mamus, si parens tempore nuptiarû bona filii filixve admini-
 straverit: tunc enim non proprio, sed administratorio nomi-
 ne impensas fecisse censendus est. arg. l. 34. ff. de neg. gest. l. 43.
 §. 1. de adm. tut. Mascard. de probat. Concl. 1399. n. 4. Non obst.
 l. fin. C. de dot. promiss. § l. 5. ff. de jur. dot. Ubi pater ex suis, non
 maternis atque administratis bonis, dotem pro filiâ dedisse
 intelligitur. Siquidem favore dotium multa esse recepta,
 contra juris rationem jure singulari, perspicuum est ex l. 9.
 §. 1. ff. de j. dot. § J. 29. Inst. de Act. vid. Myns. Cent. 3. Obs. 3.
 quæ ad sumtus nuptiales trahi non debent, cum horum favor
 & juris privilegium deficiat Finckelth. Obs. 66. Accedit, quod
 paternum sit officium dotare filiam d. l. fin. § l. 19. ff. de rit.
 nupt. ex quo præsumtio inducitur, quod de propriis bonis
 do-

dotem dederit, cum, qui ex duplici causa obligatus aliquid simpliciter præstat, in graviolem duriolemque causam præstitisse censeatur *l. 4. seq. ff. de solut.* durius autem obligatur ex suo officio pater, quia ex lege. *Mynf. Cent. 5. Obs. 32. n. 5. seqq. Carpz. L. 6. Resp. jur. Elect. 71. n. 5. § 12.* Ast nuptiales expensæ non ex obligatione, sed liberalitate paterna, procedunt; hanc autem vincit bonorum administratio *d. l. 34. ff. de neg. gest. Carpz. d. l. n. 7. seqq.* In cæteris personis conjunctis, animus donandi non præsumitur, cum pietas ea in his non militet, quæ in parentibus, *Brunneman. ad l. 3. C. de neg. gest. num. 2.* nisi alia accedant adminicula, unde liberalitatis conjectura capi possit; quo spectant affectio domestica *l. 1. C. de neg. gest.* ibique *Dd. egestas ejus, cui sumtus subministrantur, Sichard. in l. 1. num. 5. C. de neg. gest.* præstita expendenti servitia *id. d. l. numer. 10. vers. supra.* omiſsa protestatio *l. 34. de neg. gest. l. 14. §. 7. de relig. & sumt. fun.* non facta impensarum exactio; quæ aliaque similia efficiunt, ut aut erogationis non detur repetitio, aut alius animus à petente v. g. fratre, patruo &c. probandus sit *vid. Mev. 8. Dec. 194. & 4. Dec. 317. Brunneman. ad d. l. 34. de neg. gest.* Sed num ad hujusmodi argumenta diluendum sola impensarum descriptio in Libro rationum facta sufficiat, quaritur? *dist. Dn. Mev. 8. Dec. 195.* utrum impendia solum designata sint in Libro, an additum, quod ea sibi debeat, cujus causa sunt: posteriorem descriptionis modum satis explicare animum repetendi & alia argumenta diluere autumat; priorem verò minimè posse efficere, ut quis repetere queat, quod aliàs creditur fecisse ut donator; quippe quod alia possit haberi annotationis conjectura. *Conf. Finckelth. obs. 11. n. 10.*

TH. XXXVII.

Cæterum cum promissio aut legatum impensarum nuptialium tacite annexam habeat conditionem, si nuptiæ celebrentur *arg. l. 10. §. 4. l. 21. l. 48. pr. de jur. dot. l. 71. §. 3. de condit. & demonstr.* nec tempus inspiciatur, in quo nuptiarum ætas personis, sed ex quo ipsa nuptiarum festivitas accedat, per *l. 24. C. de nupt.* Itaque pendente illa conditione expensæ nec

debentur nec exigi possunt *l. 213. pr. de V. S. l. 4. §. 2. de pact. l. 41. de condit. & demonstr.* sique ante eventum conditionis ex errore fuerint solutæ, tanquam indebitæ possunt condici. *l. 16. l. 18. de Condit. indeb.* Sin mors vel aliud nuptiarum impedimentum intervenerit, promissio legatumve expirat, nec ulla spes ad heredes transmittitur. *d. l. 71. §. 3. de condit. & demonstr. Carpz. 2. c. 46. d. 20. n. 8. seq.* Inde rectè asseritur, quod reservata à venditoribus in nuptias liberorum, vulgò das *Zingeschnittel* oder *Zubereiß* / defunctis his ante nuptias, heredibus eorum haut deferantur, sed ipsis emtoribus cedant, Andr. Rauchbar. *1. q. 38. Carpz. 2. c. 46. d. 21.* Cessante enim causa finali, quæ hîc in nuptiarum apparatu consistit, effectus quoque, sive ipsa obligatio ad expensas promissas præstandum, expirat. *C. cum cessante 60. de Appell. Carpz. d. l. n. ult.*

TH. XXXVIII.

Neque verò qualicunque conjunctione hæc conditio impletur, sed tali, quæ Legibus approbata & nuptiali pompa celebritateque digna est *l. 10. pr. de condit. & demonstr. §. 12. Inst. de nupt.* Sic non paret conditioni, qui, antequam ad legitimam ætatē pervenit, nuptias contrahit, inde non antè ei debebuntur nuptiales expensæ, quam pubes nubilisvè esse cœperit *arg. d. l. 10. pr. l. 30. quand. dies leg. vel fid. l. 4. de rit. nupt. l. 3. de j. dot.* neq; poterit eas ad heredem transmittere, si in hoc intemptivo matrimonio intraque impubertatem decedat. *l. 54. §. l. 120. de R. J.* Neque 2. is eave conditionem implet, qui quævè ei conjungitur, cujus nuptiis ei interdictum est *d. l. 10. pr. de cond. & dem.* Hujusmodi enim matrimonium ipso jure nullum est, nec quempiam sortitur juris effectum *§. 10. Inst. de nupt.* nisi fortè per dispensationem Principis obstaculum removeatur & licita sic efficiatur nuptiarum celebritas. Planè si qui ante impetratam dispensationem contra Legum prohibitiones coierint, indigni sunt, quibus nuptialis quædam pompa (quæ maximè hodiè in solemnibus ad templum deductione atque nupt. Convivio consistit) concedatur: quippe quæ & illis interdici solet, qui quidem honestè conjungi non vetantur, sed tamen ante sacerdotalem benedictionem minus

minùs castè vixerunt & vagâ libidine sibimetipsis maculam attraxerunt. Siquidem hî ut scandalum evitetur, sæpissimè in ædibus privatis, vel, si fortè metus subsit, ne altera pars matrimonii consummationem detrectet atque aufugiat, in Consistorio, quin & in ipso non rarò Prætorio ac foro politico à ministro Ecclesiæ copulantur, Vid. Carpz. 2. *Consist.* 150. *add. def.* 146. & *seq.*

TH. XXXIX.

Restat adhuc, ut paucula de *sumtibus Conviviorum Sponsalitorum*, quæ scil. tempore sponsaliorum, quibus mutua futurarum nuptiarum fit repromissio, peraguntur, subnectamus. Vocantur hæc etiam *Sponsalia* simpliciter, ut Cicer. in *Epist.* 6. ad *Q. Fratrem: ad VIII. Id. April. Sponsalia Crassipedi præbui, huic convivio Quintus tuus defuit.* Nobis *Heurathmahl / Verlobnüss / Verlobnüss-Essen.* Et hæc Convivia non minùs, ac Nuptialia, antiquissimis temporibus usitata fuisse, probant ex *Gen.* 24, 54. ubi Laban & Bethuel post desponsationem Rebeccæ servum Abrahæ convivio exceperunt *vescentes pariter pariterq; bibentes & Tob.* 7, 17. Hildebrand. *de nupt. veter. Christian.* & *Stuck.* l. 1. *Antiquit. Convivial.* c. 24. ubi etiam de Græcorum atque Romanorum Sponsalitiis prolixè agit. Apud nos quoque Germanos ea frequenti sunt in usu, ac noctu potissimum agitari solent, eodem die, quo sponsalia fuerunt contracta. Plerumque autem in sponsæ ædibus, ubi & sponsalia fieri consueverunt, epulæ sponsalitiæ, & quidem ipsius sponsæ hujusve parentum impensis, exhibentur, atque ad eas vocantur proximi sponsi sponsæque consanguinei atq; affines, nec non quibusdam in locis, præprimis apud rusticos, Pastores Ecclesiæ, vel alii honesti viri, qui sponsalibus interesse fuerunt rogati. Ut verò modus & hîc servetur, sereniss. Elect. Sax. in suprâ laudata *Ord. Polit. tit.* 13. arctiores quosdam limites posuit, & transgressores severissimè à Magistratu puniendos præcepit. Vid. etiam hanc in rem *Gothaische Landes-Ordnung.* p. 3. N. 28. Cæterum quod de expensis nuptialibus suprâ diximus, eas regulariter non conferri post mortem parentis in communem hereditatem, illud quoque de expensis in Convivium

Affin.

vivium sponsalium à parente factis, asserendum est, ob paritatem rationum, quas supra adduximus. Ita respondit Facult. Jurid. Lips. A. 1613. d. 8. Sept. apud Finckelth. *Obs.* 66. num. 7. Aliud autem dicendum est de arrhâ sponsalitia, quæ tempore sponsaliorum personis desponsatis dari solet. Carpz. 3. c. 11. d. 12.

Atque hæc pro instituti ratione de præsentis materia disseruisse sufficiant. Interim B. L. eâ, quâ par est, observantiâ atque humanitate rogo, ut, quæ minùs accuratè à me sunt tradita, æqui boniquè consulere, meque suo favore & adfectu non indignum judicare dignetur.

D. T. O. M. S. L. H. E. G.

Quilibet in mensas quantos expendere sumtus
Connubium instaurans debeat, IPSE doces.
Qui facis in docilem modica haud impendia mentem,
Restituet cornu divite sacra Themis,
Tempora cum dibapho cinget, Spartaque beabit
Te, sumtusque, quibus Martha paranda, feret.

f. l. m. q.

PRÆSES.

SUMTUS NUPTORUM pertractans præmia quænam
Appetis? en Sacræ THEMIDIS petis OSCULA: nonne?
Auguror. HANC ulnis optatam amplectere sponsam,
ALTERA mox addet cum SUMTIBUS oscula sponsa.

*Ita ex animo gratulatur Cl. Dn. Autori Respondenti,
Compransori suo suavissimo, Fautori & Amico
æstimatissimo*

Jo. Christoph. Hartung/Phil. &

J. U. D.

99 A 6920

ULB Halle

3

002 622 963



VD17







λγ.
DISSERTATIO JURIDICA
DE
SUMTIBUS CONVI-
VII NUPTIALIS,

QVAM,
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
PATROCINANTE

DN. HEINRICO BALTHASARE Roth/
JCTO AC ANTECESSORE CELEBERRIMO,
CONSILIARIO SAXONICO ET SCHWARTZBURG. CURIÆ
PROVINCIALIS AC SCABINATUS ASSESSORE GRAVISSI-
MO, p. t. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO
SPECTABILI.

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO ET MOECENATE SUO MA-
GNO, SUMMO HONORIS ET OBSEQVII CULTU ÆTATEM
DEVENERANDO,

IN JCTORUM AUDITORIO

Ad d. Martii

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXPONET

AUCTOR ET RESPONDENS

GODOFREDUS WOLFIUS,
Löbejunâ Saxo.

JENÆ

Typis NISIANIS, ANNO M DC LXXXIII.